



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

Tres conditiones quoad damnum emergens.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

15. Altera Difficultas; Si mutator dubitet negativè, an mutuatarius licetum dederit supra sortem liberaliter, an ex vi mutui, tenebitur ad restitutionem? Respondetur, tenebitur. Ita Med. de usur. q. 5. c. 3. quia in dubio potius est ius innocentis, & Domini rem suam, certò possidentis, nam tametsi supponamus, lucrum iam esse in manu mutuantis, tamen hæc possessio est materialis, seu vocamus, naturalis, si quidem possessio civilis, & vera est apud mutuatarium, donec constet de vèro titulo mutationis domini.

16. Signa autem, quòd liberaliter, & verè gratis aliquid donetur, vel donatum fuerit, sunt. Si mutuatarius licetum acceptum, & mutuatarius nihilominus sponte iterum donet: si idem mutuatarius sit dives, liberalis, & magnificus: si in dando lucrum, non præferat molestiam, vel molestiam, præsertim quando idem mutuatarius non sperat iterum ab eodem mutuatario simile mutuum. Contrà si mutuatarius sit pauper, si parvus, si avarus, si molestiam præferat, si conqueratur cum amicis de licentia dati lucri, si sint conjectura ipsum moveri ad dandum lucrum, ne iterum peteret mutuum repellatur, & accutur non vulgaria in dicia involuntarij. Lege Dicat. lib. 2. tract. 10. d. 2. dub. 13. facit hæc quod dixi supra, tract. 2. q. 2. n. 35.

§. III. An ratione damni emergentis, & lucri cessantis liceat quid accipere supra sortem?

Quandoquidem licere iam supponimus ferè omnes. Molin. d. 315. Lessl. l. 2. cap. 20 Bon. de coqr. d. 1. q. 1. & innumeri Doctores citati à Dicat. h. 2. tr. 10. d. 2. dub. 4. n. 159. conditiones solum requisitas afferamus

Tres conditiones quoad damnum emergens:

1. Prima, ut certò sit damnum tibi eventurum, vel eventurum rationabiliter timeatur, nec impediri possit. Ita Caiet. l. 2. q. 18. art. 2. Navarr. in man. c. 17. n. 111. Dicat. l. 2. dub. 7. n. 187. si enim habeas aliam pecuniam vel amicum, qui illud damnum possit impedire, cur tribus mutuo?

2. Secunda, ut id mutuatario manifestò dicatur; fortasse enim noller cum hoc onere mutuum accipere; si ergo tacitas, iudicaris condonare, sufficere autem puto, si fiat pactum de lucro supra sortem, nec enim est necesse, ut explicetur explicite hoc lucrum esse propter damnum. Dicat. l. 2. n. 188. Castro Pal. de inst. comm. d. 4. p. 15. Ratio est, quia iam sufficienter mutuatarius consentit ad illud onus: erit tamen bonum consilium explicare, neque usurarius condemnaris sufficere, item puto, si te quis, v. g. Rex cogat ad contrahendum: sic Salom. & alij citati à Salas, dub. 18. n. 5. Coactio enim illa est implicitus consensus ad omnia damna, quæ alter contrahens patitur. Idemque dic in lucro cessante.

3. Tertia, ut iuxta, damnum, seu damni periculum æquale pretium detur. Cum autem incerta plerumque sit quantitas damni, quod ex mutuo alteri dato eventurum tibi sit, pendat, omnino consideratis, vir expertus iuxta modum dicenda n. 14. hic proportionaliter applicanda, quænam quantitas pretij sit statuenda.

Ex his collige sequentis dubij solutionem: Ego tibi mutavi centum, ea lege, ut propter damnum mihi vere emergens, reddas centum, & decem, potesne tu mutare hæc eadem centum, vel eorum partem alteri tertio, ut ab illo recuperes illa decem, vel partem eorum, quam mihi debet?

4. Respondeo; Dic mihi, si ego tibi vendidi equum, v. g. iniuste centum, potesne tu equum alteri tertio iniuste vendere, ut excessum pretij, à me tibi ablatum, recuperes? Respondebis, distinguendo: Si equus in mea manu, quia illius curam gessi, melior effectus est, unde centum valeat, postum, sedus nequaquam, quia, si iniuste ego à te traxerim, iniuste me alium tractare fas non est. Rectè respondisti, nam simili quadam ratione Pars I.

ne ego propositæ dubitationi responsum dabo, cum Salas dub. 6. aliisque ab eodem cit. si supponas primo propter mutuum, quod tu das tertio, emergere tibi aliquod damnum ab hoc tertio: ut si ideo accipias ab alio mutuum, quia huic mutuum das, potes illud damnum, quod tibi emerit, & ad quod hic consentis, ut supponimus, exigere. Verum, si supponas secundo nullum tibi emergere damnum ab hoc tertio mutuatario, non potes eo solo prætextu, quòd vis rescire damnum, quod ab alio, seu à me passus es, vel patieris. Ratio utriusque dicti est, quia, quando quis patitur damnum à mutuo, quod alteri confedit, iustum est, ut illud hic alter rescariat, quia illius damni est causa, iniustum verò, si non est causa. In prima suppositione mutuatarius ille tertius est causa illius novi damni, ergo solvet iuste. In secunda verò non est causa illius tui damni, cur ergo solvet?

De damno emergente ex mora.

7. Illud addere operæ pretium hic est, quoniam mutuatarius non solum debet solvere damnum emergens toto tempore mutui, ut diximus in secunda conditione, sed æquum pariter est, ut si ipse in termino præfixo non reddat, & post illum terminum mutuantij aliquod damnum necessariò sequatur (si enim voluntarie, ipsi mutuantij imputetur) æquum, inquam, est ut illi rescariatur. Dubitabis, an adveniente termino hoc præfixo, opus sit monere debitorem de damno hor, quod tibi creditori incipit deinceps insurgere? & idem de lucro cessante. Memini me de hac re universim superius nonnulla dixisse. cap. 2. §. 6. n. 3. & n. 10.

8. Respondeo, negant esse necessarium, Navarr. c. 1. n. 51. Petrus Navarr. l. 3. de rest. c. 2. n. 278. Dicat. lib. 2. de inst. tr. 10. d. 7. n. 188. quia ex iure l. magna, C. de contr. stipul. Dies interpellat pro homine. Affirmant Angel. v. supra 1. n. 20. Caiet. 2. 2. q. 78. art. 2. Azor. p. 3. lib. 5. c. 4. q. 3. quem citat, sed non sequitur Diana p. 1. tr. 8. ref. 87 faciunt quæ dixi, ex de Lugo supra, c. 2. §. 6. n. 3. & 10. ut scilicet sic debitor ponatur in mora, nam fortasse, si de novo hoc onere admoneatur, omnibus viis illud extinguere sataget. Nec obstat prædictum Ius, quod solum loquitur (aiunt) de forte, & de lucro convento, non verò de quocunque possibili, & consequenti.

9. Dico, probabilius esse, debere omnino debitorem admoneri (excipe consuetudinem Mercatorum, de qua mox num sequenti.) Ratio est iam dicta ab affirmantibus. Et insuper, quia si debitor non admoneatur, merito creditor iudicabitur velle condonare illud subsequens damnum, de quo mentio nondum facta est, nisi forte in genere. & solum tacite ex universali quadam ratione, quòd quilibet velit suis rebus lucrari, si potest: quæ consideratio tam universalis, & indefinita non videtur sufficere, ad ponendam obligationem tam certam in Debitore.

10. Sà, v. Mora, n. 2. fine, de hac re sic breviter habet: Obligatus ex delicto semper est in mora. Qui autem sine delicto, non potest, aut diffice potest, aut aliqui causa iniuste excusatur, putant quidem cum his sentit Mol. d. 315. quam citat, sed non sequitur Castro Pal. de inst. comm. d. 4. p. 15. n. 12. non esse in mora, adeoque non teneri ad interesse ratione mora, nisi ex pacto, vel appositione pænæ conventionalis si tali tempore non restitueret, aut impotentia culpa eius accidisset. Hæc ille, lege item Dianam part. 1. tr. de Con. ref. 43. Possè autem poni in contractu mutui, vel etiam aliis contractibus pactum, seu pœnam hanc conventionalem de solvendo aliquid, solum ratione moræ, quamvis non addit titulus ullus damni emergentis, vel lucri cessantis, videtur hic supponere Sà de quo tamen superius, c. 7. §. 7. n. 29. & 30. nos diximus, ubi addidimus ad solvendam eiusmodi pœnam, requiri sententiam Iudicis, & nunquā obligare, si mora fuit sine culpa.

Dixi n. 9. (excipe consuetudinem Mercatorum) propter illud quod Sà, sic ibidem addit: Alij putant qui non solvit tempore debito etiam sine culpa in mora esse: quæ mihi opinio videtur Mercatorum usu recepta. Hæc ille. Quæ